



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

SS. Ammon Et Soc. MM. 20. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

20. Dec. VITÆ SANCTORUM. 793
re; ipse quoque animo à mundo abesse,
cùm non posset corpore; castitatem
deinceps cum conjugè colere; lectioni
sacrarum literarum se dedere; denique in
oculis nihil præter mortem & aternita-
tem habere. Ita non imparatum hæc of-
fendit anno ab obitu conjugis tertio.
Mortuus filiæ primò visus est, illa verba
Vatis blandissimè effari, *Ecce moritur ju-
stus, & nemo recogitat*; tum alteri dein-
de è virginibus regio habitu fulgens num-
tiansque *Megengoris* nomen in *Mogengau-
dii* sibi mutatum esse. *Ex vitâ S. Adel-
haidis & Molano.*

*Christi humilitas nulli aspernanda divi-
tum, nulli est erubescenda nobilium. Nec
enim in tantum provehi potest qualibet fe-
licitas humana fastigium, ut aestimet sibi
pudendum, quod Deus in formâ servi nos
est arbitratus indignum.* S. Leo serm. I.
de. Resurr.

SS. AMMON ET SOC. MM.

20. Decembris.

Sub annum partæ salutis CC. LIII.
Alexandriæ eodem tempore in Chri-
stianos sævitum est, & in latrunculos
animadversum; simili in longè dissimili-
mos supplicio. Fortè inter nomina ho-
rum nomen delatum est Genesii. Hic
quòd extra culpam esset; facile se purga-
vit.

D d d 5

vit.

794 VITÆ SANCTORUM. 20. Dec.
vit. Sed dum à latrocinii suspicione ab-
solvitur, ut Christianus accusatur. Hic
nihil negare jam Genesius, gloriari hoc
facinori. Latronibus igitur sociatus, pe-
jusque his ipsis habitus igne crematus est.
Hoc verò supplicii genere territus alius
quispiam è Christianis, cum nutare non
dubiis signis ad tribunal impium videret-
tur, ecce AMMON, ZENO & PRO-
TEMEUS (fortissimi milites) per me-
dium agmen penetrare, & cum verbis
non possent, nutu labantem ad constan-
tiam hortari. Itaque jam oculis annue-
re, jam manibus loqui, jam lacrymis &
gemitibus clamare, jam toto corpore
supplicare, ne indignum quidquam
Christiano admitteret. Hoc ipsum verò
cum oculos non posset fugere spectato-
rum, vulgum scilicet in se armarunt.
Tum verò nihil dissimulandum amplius
rati, in medium omnes prodierunt, &
Christum jam pleno etiam ore confessi
populum omnem in stuporem rapue-
runt, socios contra tyrannum mirum
quantum animarunt, ipsi verò gaudio
exilierunt, quod cæli civem, hoc est Mar-
tyrem, servassent. *Ex Epist. Dion. Alex.
apud Euseb.*

*Quo, quaso, dignum te iudicabis, qui
factus ad imaginem factoris tante in te ma-
jestatis non defendis dignitatem, & tu ho-
mo, cum in honore esses, honorem tuum non
in-*

21. Dec. VITÆ SANCTORUM. 795
intelligens, compararis jumentis insipientibus, dum nil spirituale aut aeternum elaboras? S. Bern. epist. 104.

S. THOMAS APOST.
21. Decembris.

DIVUS THOMAS, cui etiam palpare fidem licuit; & profuit, dubitasse THOMAM, ut Indus crederet. Nam fidem in Indiam Meliaporem usque tulit, firmavitque miraculo, cum ingenti mole arborem, & quam multi & homines & elephantum movere loco frustra laborarent, obsequentem ipse cingulo suo per miliaria x. tractam templi structuræ devovit, simulque vaticinium edidit, cum mare pertingeret illuc, affuturos, qui quam ipse nunc fidem præluceret, extinctam iterum populis accenderent; quod fieri nuper sub cœptas Hispanorum navigationes vidimus. Cæterum fuit è sacrificulis tum temporis, qui suâ manu filium mactavit, scelusque THOMÆ affinxit. Hic alium nullum pro se causam dicere THOMAS voluit, præter infantem mortuum quis credat. Absolvit disertis verbis infans THOMAM, & patrem suum damnavit. Enimverò his miris uti nuper arborem, ita nunc in sententiam Regem ac populum omnem traxit, si unos sacrificulos demas,